

berum actum voluntatis antecedit, tum etiam quia Deus necessa-
riò & naturaliter per eam cognoscit res possibles. Scientia mere
libera dicitur, tum quia sequitur liberum actum divinæ voluntatis,
tum quia potuisset Deus non cognoscere res futuras, si nimirum
statuisset eas non producere. Media dicitur, quia partim natu-
rali, partim liberæ similis est. Naturali quidem, quod æque præce-
dat omnem actum liberum divinæ voluntatis; Liberæ, quod po-
tuisset non præscire ea, quæ Angeli & homines reverà facturi sunt,
si pro suâ libertate non fuissent ea facturi, sed aliquid aliud *vid.*
eund. concl. 3. p. m. 24. & citatum apud eum Molinam.

§. 16. Ex quibus patet (1.) objectum mediæ scientiæ consti-
tui futura conditionata, principium proximum liberam volunta-
tem creaturarum agnoscentia. Alias monente *ibid*: Becano n. 6. à
nonnemine sub sphæram objecti scientiæ mediæ rediguntur, quæ-
cunq̄ue sub conditione futura sive à principio libero sive à natu-
rali dependeant. (2.) Ex eodem fonte fluit, quoad rem coincidere
in hâc sententiâ scientiam simplicis intelligentiæ quam aliàs etiam
vocant simplicem item simplicis notitiæ teste Excellentissimo Dn.
Johann Christophoro Hundeshagen/ Logic. & Phil. prim. P. Publ.
Celeb. Patrono & Præceptore nostro Venerando. in peculiari di-
sputatione de Scientiâ Dei mediâ §. 1. & naturalem, visionis item
& liberam. Simplicis intelligentiæ enim scientia solet dici intelle-
ctus divinus comprehendens omnia possible sub reduplicatione,
non autem secundum actuales pro aliquâ differentiâ temporis exi-
stentias: Visionis scientia contra dicitur, quâ comprehendit ea
quæ actualem existentiam habent in aliquâ, sive præsentis sive futu-
ri sive præteriti temporis differentia, in quantum eam habent. (3.)
Quæri hic posset ex Becano, si objectum scientiæ mediæ constitu-
unt tantum futura dependentia à libero arbitrio creato sub condi-
tione, quorsum & ad quam scientiam Dei ex tribus commemo-
ratis referre velit futura conditionata, dependentia à principio na-
turali; A mediâ ipse hæc excludit. Ad liberam non spectant, quia
sub hanc cadunt absolutè futura. Neque etiam ad naturalem per-
tinere videntur, adæquatum enim ejus objectum constituunt pos-
sibilia sub ratione possibilitatis. At hæc futura conditionata à cau-
sis naturalibus, formaliter spectari debent sub ratione futuritionis
conditionatæ à causis naturalibus dependentis, non autem sub ra-
tione possibilitatis.